

soluzione ab Excommunicatione. Ignorantia conjuncta cum bona fide facit, ut suspensiones in jure stabilitæ non incurrantur. *Fromageau.*

NOTA. Excipiendum, nisi ignorantia crassa, supina, vel affectata fuerit.

CASUS LXXXVIII. Quidam percussit Eremitam. Estne excommunicatus?

ꝑ. Est excommunicatus, si Eremita ex eorum numero fuerat, qui emittunt vota, & in communi vivunt sub gubernio Episcopi: hi enim reputantur Monachi, gaudentque privilegiis Clericorum, ac, si quis eos *suadente diabolo* percutiat, incurrit Excommunicationem. Si insuper injuria sit atrox ac publica, percussus non poterit absolvi nisi Romæ. *Fromageau.*

NOTA. Vide supra Casum 24.

CASUS LXXXIX. Petrus homo sæcularis violenter aggressus Presbyterum, jam parabat baculum ad eum percutiendum; impeditus tamen ab ipsa percussione laceffivit eum diceris valde injuriosis. Estne excommunicatus? Num licet cum eo communicare ante absolutionem? An Presbyter adeo male habitus potest illo præsentem celebrare? An non tenetur petere compensationem publicam?

ꝑ. Petrus incurrit Excommunicationem majorem, etsi actu non percussit Presbyterum. Cum autem Excommunicatio hæc non sit satis notoria, non censetur esse vitandus ante absolutionem. Presbyter quoque poterit in præsentia ipsius celebrare; nec tenetur eum compellere ad publicam reparationem damni, nisi fama ipsius per illatas injurias ita fuisset denigrata, ut jam non possit debita ex vocatione sua Ecclesiæ servitia cum fructu præstare: in hoc enim casu Presbyter Petrum judicialiter deberet convenire ad restitutionem famæ, si hic eam ultro præstare recuset. *Fromageau.*

CASUS XC. Presbyter colaphum impexit alteri Presbytero. Estne excommunicatus?

ꝑ. Est excommunicatus, & si in hoc statu celebret, insuper irregularitatem incurrit. Si factum est notorium, recurrendum est ad Datariam pro obtinenda rehabilitatione. *Fromageau.*

CASUS XCI. Quidam explofit sclopetum in Presbyterum, qui tamen nec minimum læsus est. Estne excommunicatus?

ꝑ.

ꝑ. Est excommunicatus. Si tamen factum hoc a nemine visum, & si scandalum oriretur aut ipse diffamationem incurreret ex absentia ab officiis publicis, poterit eis interesse. Nec tenetur functiones omittere, quæ ipsi incumbunt ut Judici, vel membro Magistratus. *Fromageau.*

CASUS XCII. Canonicus quidam absque licentia ingressus est monasterium Monialium. Estne excommunicatus?

ꝑ. Est excommunicatus; & ab hac censura a suo Confessario non potest absolvi, multo minus ab irregularitate, quam incurrisset, si in eo statu celebrasset. Cum exemptio, qua fors gaudet ipsius Capitulum, eum non subtrahat jurisdictioni Episcopi, tenetur se conformare sententiæ Officialis excommunicatum declarantis. Debet insuper abstinere ab Officio, privaturque distributionibus, usquedum in priorem statum restitutus fuerit ab Episcopo vel a Papa. *Fromageau.*

Vide *Appellatio Cas. 9.* Casus reservati, Censura. Ecclesia Cas. 2. 3. 4. 5. Missa Cas. 42. Monitorium. Officium Breviaril Cas. 12. Provisio de Beneficio.

EXCURSOR MARITIMUS.

1. *Excursor Maritimus* vocatur ille, qui imperat uni aut pluribus navibus bellico apparatu instructis ad excurrendum in naves hostiles & ad illas capiendas aut diripiendas. Gallice vocatur *Armateur*, quod idem est ac *hostilium navium prædator*.

2. Nemini licet navem bellico apparatu instruere ad excurrendum in hostes sine auctoritate & licentia Supremi Domini, & id solum in bello justo; in quibus circumstantiis quod excursor hostibus abripit, legitime sibi vendicat, modo juxta constitutiones agat, & solvat Principi ejusque supremo navium Præfecto, quod vi horum statutorum ipsis solvendum est. Qui propria auctoritate navem armare aggrediuntur, Piratæ aut Prædones maritimi vocantur, nihilque juris obtinent in ea, quæ hostibus eripiunt.

CASUS I. Theognostus videns bellum indictum esse Gallos inter & Batavos propriis sumptibus & privata auctoritate duas ad excurrendum piraticas naves armavit, ad easque muniendas præter nautas quinquaginta pro unaquaque milites conduxit. Sicque prehensis tribus aut quatuor navibus hostilibus brevi dives evasit. Num legitime sic ditescit?

ꝑ. Etsi convictus sit Theognostus de belli justitia, cum tamen absque commissione a supremo navium Præfecto excurrerit, bona hoc modo acquisita pro injuste acquisitis habenda sunt. *Pontas.*

Tt 4

CA

CASUS II. Nemeſius excuſſor maritimus natione Gallus durante Bello Gallos inter & Anglos his abſtulit navem onerariam Tabaco onuſtam prius mercatori Gallico ereptam.

ꝛ. Si navis iſta oneraria per viginti quatuor integras horas in Anglorum poteſtate fuit, cenſetur ad eos legitime pertinuiſſe ſecundum leges bellicas, & in hoc caſu Nemeſius tuto eam retinere poteſt; ſi autem non per viginti quatuor horas in eorum poteſtate fuit, tenetur eam reſtituere mercatori Gallo, cujus eſt impenſas recuperationis ſolvere. *Pontas.*

CASUS III. Cum juſta de cauſa a Gallis bellum illatum eſſet Batavis, Ferrandus excuſſor Gallicus occupavit navem Anglicam, quæ viſitari recuſabat, & in quam Batavi diverſi generis merces congeſſerant, ne excuſſoribus Gallicis in ſpolium cederent.

ꝛ. Ferrandus non peccavit contra juſtitiam, ſpoliumque hoc habendum eſt pro legitime aquiſito.

CASUS IV. Memmon Excūſſor Gallicus inſtructus ad excurrendum commiſſione regia reperit in mari Mercatorem Gallicum, cui ocyus ſignum dedit ad retrahenda vela, ut viſitaretur, & commiſſionem ſuam aut navigandi licentiam exhiberet. Hic parere recuſans per vim compellitur ab Excūſſore, & occupatur, quia reſtitit, & Patronus ſeu Capitaneus navis authenticum licitæ navigationis instrumentum (charte partie) exhibere non potuit.

ꝛ. Spolium hoc licite & legitime ſibi vendicat Memmon. *Pontas.*

CASUS V. Valerianus Capitaneus navis excuſſoriæ, quam ipſe conſtruendam curavit, eam armandi, & ſub ſigno Melitenſi ac cum permiſſione Magiſtri Ordinis contra Turcas excurrendi conſilium cepit. Licetne Valeriano ſubſidium præſtare ad executionem ſui propoſiti?

ꝛ. Cum bellum ſit juſtum, & intentio pia, ac legitima authoritate ſuſſulta, abſque peccato in ſuo conſilio poteſt firmari & adjuvari Valerianus aut mutuo datis pecuniis, aut alio modo, ut ſuum exequi poſſit propoſitum. Obſervandum tamen eſt, quod, ſi Valerianus natione Gallus eſſet, navemque ſuam in quadam Regni provincia inſtrueret, neque in favorem Ordinis Melitenſis, neque ullius alterius Principis excurrere poſſet ſine erpreſſa Regis licentia. *Pontas.*

NOTA. Non permitterem hoc Gallo, niſi deſinat eſſe ſubditus regis Galliæ, & incipiat eſſe ſubditus Ordinis Melitenſis. Pacta enim ſolennia pacis etiam Turcis & gentilibus ſancto ſervanda ſunt.

CASUS VI. Victorius Excūſſor maritimus Macloviensis per navem propriis ſumptibus conſtructam & commiſſione inſtructam a ſupremo navium Præſecto plura ab Anglis, quibus ſolum bellum gerebatur, ſpolia reportavit, ſicque 10000. florenos lucratus eſt.

ꝛ. Cum Victorius commiſſione inſtructus, & non niſi ſub vexillo & Authoritate Regis in hoſtes excurret, neque jura Regi & ſupremo navium præſecto debita defraudaverit, hos 10000. florenos ut legitime aquiſitos ſibi retinere poteſt. *Pontas.*

EXEMPTIO.

CASUS. Capitulum a jurisdictione Episcopi exemptum, teneturne ad observationem Decretorum Episcopaliū?

ꝛ. Non tenetur; nam Decreta Episcopalia ſolum eos obligant, qui ipſi ſunt ſubjecti: Aſt ſi Decretum de venatione omnibus Clericis interdicta agat, tenetur dictum Capitulum ſe illi conformare: attamen ſi Episcopus venationem ſibi reſervet, iſto caſu reſervato non ligantur illi, qui Episcopo non ſunt ſubjecti, & quilibet Presbyter approbatus poteſt abſolvere in tali caſu eos, qui venationi interfuerunt. *Fro-mageau.*

NOTA. Capitula exempta cum ſuo territorio ſubjacent Episcopis etiam circa ea, quæ Episcopis ſolis, non vero Præpoſitis exemptis, ſpecialiter committuntur, vel de conſuetudine, aut jure relinquuntur tanquam delegatis Sedis Apoſtolice, v. g. circa diſpenſationem Quadrageſimalem.

EXORCISMUS.

1. Iſte terminus ſumi poteſt in duplici differenti ſignificatione; nimirum pro Exorcismo, ſeu benedictione Aquæ & Salis in Miſſa parochiali, aut pro adjuratione contra Dæmonem, uti in Baptiſmo, & in obſeſſis.

2. In prima ſignificatione eſt ſimplex benedictio, quæ ob deprecationem Eccleſiæ, & attritionem ſuſcipientis habet virtutem remittendi peccata venialia, & eſt ſunctio ſolum ſacerdotalis interdicta inferioribus Clericis. In ſecunda ſignificatione Exorcismus deſinitur *Divini nominis obteſtatio ad eſſugandum Dæmonem ejuſque virtutem.*

3. Ceremonia Exorcismi in Baptiſmo eſt præcepta a Papa Cæleſtino I. & in ſecundo Concilio Bracarenſi habito Anno 472. Sanctus quoque *Augustinus* hujus dat teſtimonium, & *S. Gregorius Magnus* eſt teſtis iſtius antiquæ traditionis Eccleſiæ.

CASUS I. Philostorgus parochus in urgenti necessitate baptizavit infantem prætermisissis ceremoniis, quas tamen omnes in continenti mox supplevit.

R. Non solum ceremonias, sed & Exorcismos supplere debuit.

NOTA. Otto Cardinalis Episcopus Augustanus in suo Rituali diocesano, Romæ post Concilium Tridentinum scripto, & per Marquardum ejus successorem edito, & usque ad annum 1659. quo Episcopus adhuc Minorennis successit, non jubet suppleri Exorcismum. Cum enim Coelestinus I. scribat eum ordinari ad expellendum dæmonem, nunc solum ordinari potest ad illum arcendum.

CASUS II. Gelafius a Dæmone possessus seu obsessus duobus abhinc annis, repetito Sacramentorum Pœnitentiæ & Evcharistiæ usu non est liberatus. Jubente igitur Episcopo Parochus ipsius usus est Exorcismis ab Ecclesia præscriptis: durante Exorcismo plura, quæ rescire cupiebat, interrogavit dæmonem, qui ad singula respondit ex ore Gelasii, quin tamen hominem reliquerit. Cui attribuenda est inutilitas Exorcismi? An male egit Parochus?

R. Attribui potest malus Exorcismi eventus 1. Voluntati Divinæ. 2. Modicæ fidei Parochi, qui male egit, quod curiositate se abripi permiserit. *Non licitum est, inquit S. Thomas, dæmones adjurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum; quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum ipsis habendam. Pontas.*

NOTA. Interrogationes dæmonum omnes reprobantur merito a modernis Authoribus apud Buffaldum in Commentario ad Rituale Rom. Tit. 90. n. 67.

CASUS III. Heliodorus simplex Exorcista jussu sui Parochi Exorcismum salis & aquæ, qui fieri solet diebus Dominicis, fecit.

R. Licite id facere non potuit; quin & Diaconus id faciendi potestatem non habet. Cum aqua benedicta habeat virtutem remittendi peccata venialia, & Sacerdotium sit principium remissionis peccatorum, hæc benedictio considerari debet ut actio pure sacerdotalis; quod ipsum & rubrica Missalis Romani supponit his verbis: *Sacerdos, .. cum stola circa collum &c. Pontas.*

NOTA. Potestas Exorcistæ cum hoc tempore conferatur juvenibus adhuc in expertis, merito ligatur interdito eam non exercenti ante adeptionem sacerdotii & specialis concessionis Episcopalis. Quando vero eam Sacerdos exercet; eam non exercet qua Sacerdos, sed qua Exorcista.

EXTREMA UNCTIO.

1. Fideles quadruplicem recipiunt unctionem per vitæ decursum, scilicet in Baptismo, in Confirmatione, in susceptione Presbyteratus, ac in articulo mortis; & hæc, quæ recipitur in fine vitæ, dicitur *Extrema Unctio*.

R. Theologi eam definiunt *Sacramentum*, quo per sacerdotalem orationem oleique unctionem infirmo gratia confertur. Per sacerdotalem orationem intelligitur oratio contenta verbis formæ hujus Sacramenti, cujus solus legitimus Minister Presbyter est, id est, Parochus, aut alius Presbyter, cui id commisit Parochus. Per verba oleique unctionem intelligitur oleum olivarum benedictum ab Episcopo, quod solum est materia Sacramenti remota, uti est unctio proxima. Per infirmum intelligitur ille, qui est infirmus cum periculo vitæ. Sacramentum hoc non debet administrari cuicumque, qui non est infirmus, licet sit in vitæ discrimine constitutus. Denique verbum *Gratia* significat gratiam habitualement, animam infirmi sanctificans, peccati reliquias in ipso abstergens, eumque in suo morbo contra assaultus dæmonis confirmans, & sanitatem quoque procurans, si pro illius salute expediens id visum fuerit Deo: hi sunt effectus, quos Sacramentum isthoc producit ex opere operato.

3. Infirmus in periculo mortis constitutus nunquam differat usque ad extrema receptionem hujus Sacramenti; sed illud requirat, dum adhuc rationis est compos, & in statu recipiendi gratias & effectus, quos producit, per dispositiones sanctas, quæ se ad illius receptionem præparet, uti sunt fides viva, spes firma, amor Dei sincerus, vera contritio de peccatis suis, & perfecta resignatio in voluntatem divinam.

4. Cum sæpe numero infirmi non satis agnoscant periculum, in quo versantur, Pastores, Confessarii, Medici, Chirurghi, consanguinei & alii, qui ipsorum curam habent, debent illis periculum manifestare, ut Sacramentum hoc convenienti tempore, id est, ante aut post acceptum sacrum Viaticum recipiant. Ministri in administrando hoc Sacramento observare debent ritus suæ Ecclesiæ; & non licet illis mutare ordinem stabilitum ab Episcopo, aut longo usu introductum & ab Episcopo confirmatum. Cum tamen Ecclesia universalis de differentibus illius usibus nil deciderit, prudens pastor quandoque mutare potest ordinem, si urgens adsit necessitas, aut id petat ægrotus.

CASUS I. Cyconius parochus sæpius negligit infirmis dare extremam unctionem, & eos sine hoc subsidio mori finit prætendens; Sacramentum hoc nec esse necessarium necessitate medii nec etiam præcepti divini aut ecclesiastici, & se non teneri sub peccato mortali ad illius administrationem, saltem quoad illos, qui id non petunt, nec etiam se teneri, ut ad petendum excoeret eos, qui de illo non cogitant.

R. Probabilissimum esse censeo, Sacramentum hoc esse necessarium necessitate præcepti periculose decumbentibus, remque plenam periculi esse tam respectu infirmi illud recipere negligentis, quam respectu parochi illud non administrantis. Errat igitur Cyconius, & peccat mortaliter toties, quoties ex affectata ipsius negligentia & plene voluntaria quispiam parochianorum sine hoc Sacramento decedit. *Pontas.*

CASUS II. Agepius parochus cuidam suorum parochianorum in articulo mortis constituto extremam unctionem administrare festinans oleum infirmorum non reperit; sumpsit igitur oleum catechumenorum.

R. Haud difficulter dici potest, isthoc Sacramentum valide conferri posse per sacrum chrisma aut per oleum catechumenorum in simili casu. Cum tamen hæc doctrina non adeo sit certa, & Ecclesia nihil deciderit, ac aliunde periculosum sit talem mutationem facere, addimus, Presbyterum, qui ex improvise adhibuit chrisma aut oleum catechumenorum loco olei infirmorum, debere, dum id advertit, saltem reiterare sub conditione unctiones & formam adhibendo oleum infirmorum, ut id expresse statuit S. Carolus in Concilio Mediolanensi V. habito 1577. *Pontas.*

CASUS III. Martinus parochus extremam unctionem contulit adhibendo oleum simplex olivarum non benedictum ab Episcopo.

R. Dicendum, juxta doctrinam S. Thomæ Sacramentum esse nullum in Ecclesia latina. In Ecclesia Græca, ubi Presbyteri sunt in possessione benedicendi isthoc oleum, etiam esset nullum Sacramentum, si adhiberetur oleum simplex. Martinus igitur invalide administravit extremam unctionem. *Pontas.*

NOTA. Theologi non conveniunt in hoc, utrum benedictio olei sit necessaria necessitate Sacramenti. Plures existimant, solum esse necessariam necessitate præcepti ecclesiastici; quia nec ex Scriptura nec ex Traditione clare probari potest absoluta necessitas benedictionis ad hoc, ut oleum fiat materia sufficiens hujus Sacramenti. Nihilominus si Sacerdos ad collationem extremæ unctionis uteretur oleo non benedicto, graviter peccaret, & juxta S. Carolum Borromæum

mæum deberet oleo benedicto de novo infirmum ungere, reiterata simul forma Sacramenti. C. A.

CASUS IV. Nizerius parochus ad duos vel tres infirmos extrema unctione perungendos vocatus, in vasculo, quo oleum benedictum asservatur, sufficientem non adesse olei quantitatem videt; quapropter affundit longe majorem quantitatem olei non benedicti, ut hoc præsentis & alia, quæ supervenire posset, occasione sufficeret.

R. Dantur duæ hac de re opiniones, & S. Thomas pro neutra se formaliter explicat. Censendum, minorem quantitatem majori esse affundendam, & consequenter Nizerium sine peccato non potuisse majorem quantitatem olei non benedicti immiscere oleo in vasculo contento benedicto; debuisset tantum in minori quantitate mox ab initio affundere oleum non benedictum, & hoc reiterare aliis vicibus, quoties Sacramentum hoc administrandum esset: materia igitur, qua usus est, non fuit sufficiens ad valorem Sacramenti. *Pontas.*

CASUS V. Joannes parochus cuidam suorum parochianorum extremam conferens unctionem ordinariam adhibuit formam, oblitus tamen est pronunciare hæc ultima verba: *Per visum, per auditum, per gustum, & locutionem, per ardorem libidinis, per incessum pedum, & istis verbis: Quidquid peccasti, nihil addidit, quorum verborum tamen sensus determinari debet per verba omissa. Hujus omissionis recordatus est, priusquam ab infirmo abiret; an igitur repetere debet unctiones & formam?*

R. Ob hanc omissionem valde quidem reprehensibilis est, non tamen tenetur repetere unctiones & formam; verba enim *per visum* &c. non sunt de essentia formæ. *Pontas.*

CASUS VI. Callixtus parochus, cuidam suorum parochianorum extremam unctionem collaturus, & videns eum brevi moriturum, & tempus pro conferendo Sacramento juxta modum ab Ecclesia in Rituali præscriptum non esse suffecturum, credit brevior se uti posse forma, ideoque solum dixit: *Ego te ungo oleo sancto in nomine Patris &c.*

R. Juxta S. Thomam forma absoluta seu indicativa non est conveniens huic Sacramento; ideo Callixtus illud invalide contulit, cum non sit usus forma sufficiente ad valorem Sacramenti. *Pontas.*

NOTA. Ad hoc Sacramentum adhibenda est forma deprecatoria, non declaratoria: S. Jacobus enim expresse ait: *inducat presbyteros, & orant super eum.* In Pontificalibus aliisque libris manualibus

antiquioribus nusquam reperitur forma pure declaratoria. Imo Graeci ipsi semper usi sunt precibus pro forma extremae unctionis, ut videre est in eorum Euchologio. C. A. His non obstantibus forma in casu posita non videtur mihi certo insufficientis, sed dubia.

CASUS VII. Georgius parochus, & Claudius ipsius vicarius, reperientes infirmum in agone & brevi expiraturum, simul contulerunt ei extremam unctionem, ut citius conficerent Sacramentum, parochus infirmum solum ungente, & vicario formam pronunciante.

β. Non potuerunt tali modo administrare hoc Sacramentum absque gravissimo peccato, & Sacramentum est nullum; cum idem Presbyter debeat inungere & pronunciare verba, id quod satis eruitur ex his S. Jacobi verbis: *orent super eum. ungentes eum oleo.* Pontas.

CASUS VIII. Philemoni morti proximo parochus & alius Presbyter simul celeriter administrant extremam unctionem, uno ungente oculos, altero ungente pedes, & sic alternatim reliquas partes, ut Sacramentum conficiant, priusquam expiret.

β. Sacramentum tali modo administratum validum est; cum antiquitus a pluribus Presbyteris administratum fuerit. Ecclesia tamen occidentalis semper credidit unicum sufficere Ministrum. Pontas.

NOTA. Antiquitus plures Presbyteri orabant; sed non plures ungebant, vel administrabant Sacramentum.

CASUS IX. Epipodius parochus agnoscens parochianum suum, cui extremam unctionem collaturus est, brevi expiraturum, & tempus pro omnibus inunctionibus non suffecturum, si etiam praevias recitaret preces juxta regulam Ritualis, ommissis precibus statim incipit inungere.

β. Non solum non peccavit, sed potius bene egit & prudenter: unctiones enim majoris sunt momenti, & efficaciores precibus, Sacramentumque per hoc essentialiter est integrum ac perfectum. Ritualia pleraque praescribunt hanc praecautioem ministro Sacramenti, addita tamen hac clausula: *si supervivat, dicantur aliae orationes suo loco praetermissae.* Pontas.

CASUS X. Candidus parochus, nimis fero vocatus ad infirmum parochianum, solum illius inungere potuit oculos, quo facto expiravit infirmus.

γ. Juxta modernos Theologos unica inunctio sufficit ad valorem Sacramenti; & Rituale statuit, ut, si omnes fieri unctiones non possint, mox inungantur oculi, aut ali-

jud

ud sensuum organum, & pronuncietur forma generalis & conveniens singulis sensibus. Probabilissimum igitur est, infirmum cui Candidus uncam adhibuit unctionem, validum recepisse Sacramentum. Ratio est 1. qui id innuunt ipsa verba S. Jacobi solum dicentis: *ungentes eum oleo*, absque specificatione plurium sensum. 2. Generalis traditio Ecclesiae haud docet necessitatem absolutam quinque unctionum. 3. Juxta hanc ipsam traditionem sufficit unica unctio, ut constiat ex Sacramentariis S. Gregorii & Ecclesiae Mediolanensis. Pontas.

CASUS XI. Anistius triginta annos natus, a nativitate caecus, cum ad mortem aegrotaret, accepto sacro viatico petit extremam unctionem, Parochus dubitat, an etiam oculi sint inungendi?

γ. Censeo, oculos non esse inungendos. Pontas.

NOTA. Si infirmo deficiat quaequam pars exterior, quae inungenda foret, unctio facienda est in parte viciniore adhibita forma confecta ad partem deficientem; quia, ut advertit S. Thomas, infirmus potuit peccare per potentias interiores animae communicantes cum hisce partibus exterioribus. Sic v. g. caecus potuit desiderare aspectus inhonestos, & mutus habere desiderium proferendi verba peccaminosa. C. A.

CASUS XII. Maternus parochus administrans extremam unctionem agonizanti, ubi ad ultimam inunctionem pervenerat, infirmum expirasse credit; eoquod nullum amplius vitae signum adverteret.

β. Si certus est, eum expirasse, ultima unctio fieri non amplius debet; quia, inquit Sylvius, *mortuus non est capax Sacramenti.* Si vero solum dubitet, etiam ultima unctio adhuc impertienda est, cum conditione tamen: *Si vivis, per istam &c.* Ita Rituale Romanum. Pontas.

CASUS XIII. Manlius parochus extremam unctionem impendit infirmo, & perfectis jam tribus unctionibus primis apoplexia tangitur. Vocatur igitur vicarius illius ad suppleendas reliquas unctiones.

β. Vicarius non potest reiterare unctiones jam factas, sed solum perficere reliquas: in hoc enim eodem modo res se habet, sicut circa sacram hostiam, quae non potest bis consecrari. Pontas.

CASUS XIV. Nicander parochus absens erat, cum ad infirmum morti proximum extrema unctione roborandum vocatur. Igitur Presbyter alterius dioecesis in domo parochiali commoratus infirmo Sacramentum hoc ministrat, licet non obtenta prius a Nicandro licentia.

3.

℞. In his circumstantiis Presbyter exter potuit conferre hoc Sacramentum. Licet solus parochus, aut alius sacerdos de consensu ipsius sit minister hujus Sacramenti, si tamen infirmus esset in periculo decedendi sine hoc Sacramento, eoquod forte parochus aut alius habens commissionem ab eo haberi non possit, omnis sacerdos sive sæcularis sive regularis illud conferre potest, ne infirmus moriatur absque subsidio Sacramenti, quod abstergit reliquias peccatorum, & quo morituri maxime indigent. *Pontas.*

CASUS XV. Cum infans trium aut quatuor annorum ægrotaret, parens ipsius rogat parochum, ut ei conferat extremam unctionem.

℞. Non est conferenda: ejusmodi infans enim, cum nondum peccaverit, non indiget Sacramento instituto ad tollendas reliquias peccatorum. *Pontas.*

NOTA. Rationem hanc affert Catechismus Concilii Tridentini. Quod attinet infantes ratione jam pollentes, his in periculo mortis ministrandum est hoc Sacramentum, etsi ad sacram Communionem necum fuerint admitti: verba enim S. Jacobi non minus infantes ejusmodi ætatis quam omnes alios fideles concernunt. C. A.

CASUS XVI. Benedictus parochus vocatus ad conferendam Basilio extremam unctionem, advertit, eum carere una manu & uno pede.

℞. Juxta S. Thomam tales mutili non solum ungenti sunt in membris adhuc residuis, sed etiam in partibus proximioribus membro deperdito. *Pontas. Vide Cas. II.*

CASUS XVII. Lucilius parochus vocatur ad inungendum moribundum, quem scit in phrenesin incidisse.

℞. Agendum hic juxta præscripta Ritualis Romani; scilicet si petiit hoc Sacramentum, dum sana adhuc erat ratione, ministrandum est. Idem dicendum, si, antequam in phrenesin lapsus est, dedit signa veræ contritionis, aut cum fundamento præsumi possit, eum hoc Sacramentum petiturum, si posset. Verum si phreneticus foret a nativitate, nec unquam habuit lucida intervalla, in quibus indicia monstrasset penitentiae de peccatis fors commissis, non est ministrandum. *Pontas.*

NOTA. In hisce circumstantiis regula S. Augustini sequenda est, juxta quam melius est ministrare Sacramenta Christiano nolenti ea recipere, quam denegare volenti, dum incertum est, an velit vel nolit ea recipere. Interea tamen non esset phrenetico ministranda extrema unctio, si prudenter timeri possit irroganda Sacramento irreverentia. C. A.

CA

CASUS XVIII. Bartholomæus parochus rogatur, ut extremam unctionem conferat cuidam curatorum ecclesiae suae, qui subito lapsus est in lethargum, quin antea hoc Sacramentum petierit.

℞. Satis est, quod quis in statum adeo funestum redactus capax sit recipiendi remissionem peccatorum suorum per gratiam Sacramenti, quamvis alias peculiare gratias hujus Sacramenti percipere non possit. Unde concludendum, infirmum hunc, si capax sit obtinendæ remissionis peccatorum, esse inungendum, etsi incapax sit aliorum effectuum, quos Sacramentum hoc producit in iis, qui illud digne dispositi & sana mente recipiunt. Si tamen parochus certus foret, infirmum fuisse peccatorem publicum, nec ullum dedisse signum penitentiae, priusquam in lethargum incidit, sine manifesta profanatione Sacramenti non possit inungi. *Pontas.*

CASUS XIX. Alcibiades condemnatus ad mortem, & proxime educendus ad supplicium petit a Confessario suo extremam unctionem; eoquod brevi moriturus esset. Idem postulat Gervalius a Capellano nautico in inevitabili periculo naufragii.

℞. Neutri conferendum est hoc Sacramentum, quod solum in subsidium spirituale & corporale infirmorum institutum est, ut docet S. Thomas. Nec Alcibiades autem nec Gervalius sunt infirmi, licet in statu propinque mortis constituti. *Pontas.*

CASUS XX. Petronilla uxor Pauli, sentiens primos dolores instantis partus, & recordata mortis periculi in prioribus puerperiis, a suo parochio petit, postquam illa confessæ fuerat, ut sibi extremam administraret unctionem.

℞. Si Petronilla alias non est graviter infirma, non est illi hoc Sacramentum conferendum. Ita S. Carolus Borromæus in Concilio provinciali IV. habito 1576. *Pontas.*

CASUS XXI. Hieronymus periculose decumbens contempsit aut saltem neglexit recipere extremam unctionem; & in hoc statu obiit, cum crederet se reconvalescere. Peccavitne mortaliter?

℞. Multum inter se differunt contemptus, & neglectus hujus Sacramenti. Contemptus formalis non potest excusari a peccato mortali, & infirmum facit reum damnationis, si in hoc contemptu perseveret usque ad mortem: simplex autem neglectus absque contemptu ullo non producit effectum adeo funestum. De salute Hieronymi judicandum est ex ipsius dispositionibus in his circumstantiis. *Pontas.*

CASUS XXII. Parochus vocatur ad conferenda infirmo Sacramenta morientium, quem adeo phreneticum reperit, ut sola ei ministrari possit extrema unctio; & nec id quidem, *Dist. Cas. Conf. Tom. I. U u*

nii

nisi vinculis constringatur. Debetne obligare domesticos ad hanc violentiam infirmo inferendam?

y. Debet obligare: nam ex una parte parochus tenetur extremam unctionem ministrare infirmo in periculo sine omni Sacramento decedendi constituto, si fieri potest; in hisce enim circumstantiis Sacramentum fit infirmo necessarium ad salutem. Ex altera parte phreneticus, qui habuit usum rationis, est capax recipiendi hoc Sacramentum, dummodo omnis irreverentia ac indecentia caveatur, prout & modo meliori, quo fieri potest caveatur, dum infirmus vinculis ligatur. C. B.

Nora. Preces Ecclesie in hoc Sacramento adhiberi solite infirmo fors impetrabunt gratiam contritionis internae ac verae conversionis.

CASUS XXIII. Parochus dubitans, an puer in articulo mortis constitutus annos discretionis attigerit, renuit illi extremam unctionem conferre, stante hoc dubio non esse conferendam ratus.

y. Male egit parochus: tenetur enim vi sui muneris Sacramenta ministrare tam necessaria quam utilia ad salutem toties, quoties absque indecentia possunt ministrari, & parochiani iis indigent. Jam ex una parte nulla committitur irreverentia, si memoratus puer sacro oleo inungatur. Ex altera parte potest puer hoc Sacramento indigere tum ad abstergendas peccatorum reliquias, tum ad superandas daemones insidias. Non est ergo deneganda ejusmodi infanti sacra unctio. C. B.

CASUS XXIV. Parochus denegat extremam unctionem infirmo proxime morituro; eoquod stolam, aut superpellicium, aut utramque non haberet.

y. Probabilis male egit: vestes enim sacerdotales non sunt necessariae ad collationem extremæ unctionis, nisi quia ritus Ecclesie sic præscribunt, quibus extra casum necessitatis se conformandi stricta datur obligatio, a quibus tamen recedi potest exigente gravi necessitate, quæ ponitur in casu, in quo saltem valide, imo & licite parochus ministrasset hoc Sacramentum. Ex dictis tamen neutiquam sequitur, posse sic S. Viaticum quoque absque stola ac superpellicio ministrari: Eucharistia enim, cum sit Sacramentum Sacramentorum, respectum ac reverentiam exigit prorsus singularem. C. B.

CASUS XXV. Duo presbyteri, ne infirmi morte præveniatur, simul conferunt extremam unctionem, uno pedes, altero manus ungente.

y. Valida & licita est hæc collatio: metus enim mortis ante peractas a solo unctiones secuturæ excusat actionem in omnibus aliis circumstantiis illicitam. utpote ritibus ac praxi Ecclesie adversantem. C. B. vide Cal. 8.

15

大正十一年四月